



DISP. VI.
DE
LAPSU TERTULLIANI
^{ad}
MONTANISTAS.
ARTICULI II.
SECTIO III.
DE
CAUSIS HUJUS LAPSUS.

§. I.



E causis, quibus motus

Tertullianus ab Ecclesia secessit, Montanistas seculi secundi Pietastros secutus, diversimodè sentiunt scriptores. Varia hoc nomine adferuntur, sed quæ non ejusdem sunt momenti. Dantur enim qui lapsus *ambitioni*, & *invidiæ* hominis adscribunt. Illud fecit Baronius

Annal. t. 2. ad Ann. Ch. 201. n. 9. f. m. 281. cum *Victoris Papæ emulum* fuisse fingens Tertullianum, *indigne*, addit, fortassis tulit illum *sibi honore prælatum*, vel *quod ab ipso non adeo*, ut *sibi præsumserat*, *haberetur honore*, vel *coleretur officiis*. Sed huic fortassis, & que facile opponitur *non fortassis*; cum suum fortassis vix, imo ne vix quidem, *Annalium* autor probaverit. Concedo non ab omni fastu, & animi elatione liberum fuisse Tertullianum, prout hoc impotentiaæ genus illis admodum familiare esse solet, qui φιλαυγία, proveniente ex ingenii singularitate, vel

A

ex